

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Avli Gellii Noctivm|| Atticarvm Li-||bri Vnde vi||ginti**

**Gellius, Aulus**

**Venetiis, 1515**

Liber Tertivs.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-724024](#)

Contra autem de Borea, quem Aquilonem appellae  
mus, alio dicat modo.

καὶ βορέας αἴθρινετος μέρα οὐ μα νυκτί ρεων.  
Ab Aquilonibus enim qui alti, superni<sup>q;</sup> sunt, sicut  
estus excitatos quasi per prona uolui dicit. Ab A-  
ustris autem ijs, qui humiliores sunt: maiore ui quadā  
propelli, sursum atq; subiici. Id enim significat uer-  
bum λαχεῖν. Sicut in alio loco, λαχεῖν ἀρω λαχεῖ.  
Id quoq; a peritissimis rerum philosophis obserua-  
tum est, australis spirantibus mare fieri glaucum, &  
coeruleū, aquilonibus obscurius, atriusq;. Cuius rei  
causam cum Aristotelis libros problematum percer-  
psimus, notauit. Cur austro spirante mare coeruleum  
fiat? Aquilone obscurius atriusq;? An propterea  
quod aquilo minus mare perturbat? Omne autem,  
quod tranquillus est, atrum esse uidetur.

A V L I G E L L I I N O C T I V M A T T I C A  
R V M C O M M E N T A R I I .  
L I B E R T E R T I V S .

Quæsitus, ac traditum quam ob causam Sallust.  
auaritiam dixerit non animum modo uirile, sed cor-  
pus quoq; ipsum effeminare. Caput I.

Yeme iam discedente apud balneas si-  
cias in area sub calido sole cum Phano-  
rino philosopho ambulabamus, atq; ibi  
inter ambulandum legebatur Catilina  
Sallustij, quem in manu amia conspe-

A · GEL.

etum legi iuss erat. Cumq; hæc uerba ex eo libri  
cta essent. Avaritia pecuniae studium habet: qui  
nemo sapiens concipiuit: ea quasi uenenis malis in  
buta, corpus animumq; uirilem effœminat: semper  
infinita, et insatiabilis est, neq; copia, neq; inopia  
nuitur. Tū Phauorinus me aspiciens, quo inquit:  
et corpus horini avaritia effœminat? Quid enim  
istuc sit, quod animum uirilem ab ea effœminari  
xit: uideor ferme asséqui. Sed quonam modo corp  
quoq; hominis effœminet: nō dum reperio. Et egi  
quam longe i andiu in eo ipso quærendo fui: ac  
si tu occupasses, ultro te hoc rogassem. Vix ego haec  
xeram cunctabundus, atq; inibi quispiam de seculi  
ribus Phauorini, qui uidebatur esse in literis uen  
tor, Valerium inquit, Probum audiui hæc dic  
i usum esse Sallustium circumlocutione quadam pa  
ct, et cum dicere uellet, hominem avaritiam con  
cipi, corpus et animum dixisse: quæ duæ res homi  
demonstrarent. Namq; homo ex anima, et corpo  
est. Nunquam inquit Phauorinus quod equidē sa  
tam im fortuna, tamq; audaci argutia fuit nostri  
bus: ut Sallustium uel subtilissimum breuitatis an  
ficem periphrasim poetarum facere diceret. Erat  
nobiscum in eodem ambulacro homo quispiam fa  
doctus: is quoq; a' Phauorino rogatus, ecquid had  
ret super ea re dicere: huiuscemodi uerbis usus est.  
Quos inquit, avaritia minuit, et corrum pit: qui  
se se quærenda undiq; pecunia dediderunt: eos pl  
erosq; tali genere uitæ occupatos uidemus: ut scia  
lia in his omnia præ pecunia: ita labor quoq; uirile



exercendiq; corporis studium relictum sit. Negotijs  
se plerunq; umbraticis, & sellularijs questibus m-  
tentos habent: in quibus omnis eorum uigor anumi, cor-  
porisq; elangescit, & quod sallust. ait effemina-  
tur. Tum Phauorinus legi denuo uerba eadem sal-  
lustij iubet, atq; ubi lecta sunt, Quid igitur inquit,  
dicimus, quod multos uidere est pecuniae cupidos, &  
eosdem tamen corpore esse uegeto, ac ualent. Tum il-  
le ita respondit, non hercle inscite. Quisquis est inqt,  
pecuniae cupiens, & corpore tamen est bene habito, ac  
strenuo, aliarum quoq; rerum uel studio, uel exerce-  
tio eum teneri necessarium est, atq; in se se colendo  
non aequa esse parcum. Nam si auaritia sola summa,  
omnes hominis partes, affectionesq; occupet: & si ad  
incuriam usq; corporis grassetur: ut per illam unam  
neq; uirtutis, neq; uirium, neq; corporis, neq; animi cu-  
ra adsit: tum deniq; id uere dici potest effeminate  
esse & animo, & corpore, qui neq; se se, neq; aliud cu-  
ret, nisi pecuniam. Tum Phauorinus, aut hoc inquit,  
quod dixisti, probabile est, aut Sallustius odio auari-  
tiae plus quam potuit eam criminatus est.

Quemnam esse natalem diem M. Varro dicit eo  
rum, qui ante noctis horam sextam, post' ue eam na-  
ti sunt. Atq; inibi de temporibus terminusq; dierum,  
qui cuius nominantur: & usquequaq; gentium ua-  
rie obseruantur, & præterea quid Q. Mutius scri-  
psert super ea, quā maritus non iure usurpauisset:  
quod rationem cuius anni non habuerit.

A. G E L.

Væri solitū est, qui noctis hora tercia, q  
taue, siue qua alia nati sunt, uter dies  
talis haberi, appellariq; debeat, is ne  
nox ea consecuta est: an qui dies nocte consecutus  
M. Varro in libro rerum humanarum, quem di  
bus scripsit, homines inquit, qui media nocte ad  
ximam medianam noctem in his horis. XXIII.  
sunt, una die nati dicuntur. Quibus uerbis ita  
detur dierum obseruationem diuisisse, ut qui po  
lem octasum ante mediā noctem natus sit: is ei  
natalis sit: à quo die ea nox cœperit. Contra  
qui in sex horis posterioribus nascatur, eo die mi  
ri natum, qui post eam noctem diluxerit. Athene  
ses autem aliter obseruare idem Varro in eodem  
bro scripsit: eosq; à sole octaso ad solem iterum  
dentem omne id medium tempus unum diem  
cere. Babylonios porro' aliter. A' sole enim ex  
ad exortum eiusdem incipientem, totum id spatiū  
nius diei nomine appellare. Multos uero in  
Umbria unum, & eundem diem esse dicere a  
die ad insequentem meridiem. Quod quidem ip  
minus absurdum est. Nā qui calendarum hora  
ta natus est apud Umbros, dies eius natalis uide  
bebit, & calendarum dimidiarum, & qui est  
calendarum dies, ante horam eiusdem diei. VI  
Populum autem Romanum ita uti Varro dixit,  
singulos annumerare à media nocte usq; ad med  
proximam multis argumentis ostenditur. Sacra  
romana partim diurna, partim nocturna: sed  
quæ inter noctem fiunt: diebus adiunctur non  
bus.



bus. Quæ igitur sex posterioribus noctis horis fiuntur:  
eo die fieri dicuntur: qui proximus eam noctem illius  
est. Ad hoc ritus quoque, et mos auspicandi eandem  
esse observationem docet. Nam magistratus quando  
una die eis auspicandum est, et id, super quo auspicari  
cauerunt: agendum: post medium noctem auspicatur,  
et post meridiem sole magno. Auspiciatisq; esse, et  
egisse ex eodem die dicuntur. Præterea tribuni ple-  
bei, quos nullum diem abesse Roma licet: cum post me-  
dium noctem proficiuntur: et post primam faciem  
ante medium sequentem reuertuntur: non dicuntur ab  
fuisse unum diem quando ante horam noctis. VI.  
regressi, partem aliquam illius in urbe Romana sunt.  
Q. quoque Mutium iuris consul. dicere solitum legi,  
non esse usurpatam mulierem, quæ cum calendis Ianuariis,  
apud virum causa matrimonij esse cœpisset:  
ante diem. IIII. calendas Ianuarias sequentes usur-  
patum isset. Non posse impleri trinoctium, quod ab-  
esse a virro usurpandi causa ex. XII. tab. deberet.  
quoniam tertiae noctis posterioris sex horæ alterius  
annii essent, qui inciperet ex calendis. Istæc autem o-  
mnia de dierum temporibus, et finibus ad obserua-  
tionem, disciplinamq; iuris antiqui pertinentia, cum  
in libris veterum inueniremus, non dubitabamus qn  
Virgilius quoque id ipsum ostenderit, non ex posite, atq;  
aperte: sed ut hominem decuit poeticas res agentem, re-  
conditam, et quasi operata veteris ritus significatione.  
Torquet inquit, medios nox humida cursus.  
Et me saevis equis oriens afflavit anhelis.  
His n. uersibus oblique, sicuti dixi, admonere uo-

A.GEL.

luit diem, quem Romani ciuilem appellauerunt.  
VI. noctis hora oriri.

De noscēndis, explorandisq; Plauti comœdiam promiscue uerae, atq; falsæ nomine eius in pœnæ feruntur. Atq; inibi quod Plautus in pistrinum Neuius in carcere fabulas scriptitarint. Cap. I.

Erum esse comp̄erior, quod quosdam literatos homines dicere audiui, q; plerūk; Plauti comœdias curiose, atq; contentū titauerunt, non indicibus H̄eliū sedigit, nec Cl̄diū, nec Aureliū, nec Acciū, nec Maniliū super libris, quæ dicūtur ambiguæ, credituros, sed ipſi to, moribusq; ingenij, atq; linguae eius. Hac enim dicij norma Varronem quoq; usum uidemus. No præter illas unam, C. XX. quæ Varronianæ sunt: quas icirco a' cæteris se gregauit: quoniam dīsæ non erant: sed consensu omnium Plauti esse ambantur: quasdam item alias probauit adductio atq; facetia sermonis Plauto congruentis. Easq; nominibus aliorum occupatas Plauto vindicavit istam, quam nū perrime legebamus, cui est nō Bœotia. nam cum in illis una C. XX. non sit, se Aquilij dicatur: nihil tamen Varro dubitauit q; Plauti foret: neque aliis quisquam non infreq̄. Plauti lector dubitauerit, si uel hos solos uerſus fabula cognouerit: qui quoniā sunt, ut de illius viti more dicam, plautinissimi: propterea C. memori mus eos, C. ascripsimus. Parasitus ibi esuriens dicit.



vt illum dū perdant, primus qui horas repperit:  
Quiq; adeo primus statuit hic solarium:  
Qui mihi comminuit misero articulatim diem.  
Nam me pueru uetus erat solarium  
Multo omnium i storum optimum, & uerissimum,  
Vbi iste monebat esse, nisi cum nihil erat.  
Nunc etiam quod est, non est, nisi soli libet.  
Itaq; adeo iam oppletum est oppidum solarijs.  
Maior pars populi aridi reptant fame.  
Phauorinus quoq; noster cum Nervularia Plautile-  
gerem, quæ inter incertas est habita: et audisset ex ea  
comœdia uersum hunc:  
Stratae Scrupedæ stratiuilæ sordidæ.  
Delectatus faceta uerborum antiquitate meretricum  
uitia, atq; deformitates significantium, uel unus her-  
cle inquit, hic uersus Plauti esse hanc fabulam satis  
potest fidei fecisse. Nos quoq; ipsi nuperrime, cum le-  
geremus fretum (nomen est id comœdiæ, quam Plauti  
esse quidam non putant) haud quicquam dubitau-  
mus, quin & Plauti foret, & omnium maxime ge-  
nuina. Ex qua duos hos uersus exscripsimus, ut hi-  
storiām quæreremus oraculi Arietini. Nunc illud est,  
quod Arietini responsum magnis ludis dicitur.  
Peribo, si non fecero:  
Si faxo uapulabo. M. autem varro in libro  
de comœdijs plautius primo actu uerba hæc ponit.  
Nam nec gemini, nec leones, nec Condalium, nec  
anus Plauti, nec bis compressa, nec bœotia unquam  
fuit. Neq; adeo ærponos, neq; commorientes, sed

A. GEL.

M. Acutici. In eodem lib. V arronis id quoq; scripsit etiam Plautium fuisse quempiam poetam comœdiarum. Cuius quoniam fabulæ Plauti inscripta rent: acceptas esse, quasi Plautinas, cum essent non Plauto plautinæ, sed a' Plautio plautianæ. Fenni autem sub Plauti nomine comœdiæ circiter cent atq;. XXX. sed homo eruditissimus Lælius qui et. XX. esse eius solas existimauit. Non tamen dubium est, quin ista, et quæ scripta a' Plauto nondentur, et nomini eius adiunctur, veterum potrum fuerint: et ab eo retractatae, ex politaq; facta propterea recipient stylū plautinum. Sed enim saturionem, et aditum, et tertiam quandam, quia nunc mihi nomen non suppetit: in pistrino eum: psisse V arro, et pleriq; alijs memorie tradididerunt pecunia omni, quam in operis artificum sanctorum pepererat: in mercationibus perdita in opimam redisset: et ob quærendum uitium ad circuendas molas, quæ trusatiles appellantur: operi stori locasset. Sicuti de Nevio quoq; accepimus, fabulas eum in carcere duas scripsisse. Ariolum, et item, cum ob assiduam maledicentiam, et probrii principes ciuitatis de græcorum poetarum morelata, in vincula Rom. a'. III .uiris coniectus est. Unde post a' trib. ple. exemptus est: cum in ijs, quæ supra dixi, fabulis, delicta sua, et petulantias eorum, quibus multos ante læserat: diluisset.

Quod P. Africano, et alijs tunc uiris nobilibus ante ætatem senectam barbam, et genas raden-



moris fuit.

LIB. III.

Caput

SE  
III.

N libris, quos de vita P. Scipionis Africani  
compositos legimus: scriptū esse animaduer-  
timus P. Scipioni Pauli filio, postquam de  
Poenis triūphauerat, Cens. q; fuerat, eidem diem di-  
ctum esse ad populum a Claudio Asellio tri. ple. cui  
equum in censura ademerat. Eumq; cum esset reus,  
neq; barbam desisse radi, neq; non candida ueste uti,  
neq; fuisse cultu solito reorum. Sed cum in eo tempo-  
re Scipionem minorem. XL. annorum fuisse consta-  
ret: quod de barba rasa ita scriptū esset, mirabamur.  
Comperimus autem ceteros quoq; in ijsdem tempo-  
ribus nobiles viros, barbam in eiusmodi aetate rasita  
uisse. I circa plerasq; imagines ueterum, non admo-  
dum senium, sed in medio aetatis, ita factas uidemus.

Deliciarum uitium, & molicies oculorum, & cor-  
poris, ab Archesilao philosopho cuidam opprobra-  
ta acerbe simul, & festuiter. Caput V.

Lutarchus refert Archesilaum philoso-  
phum uehementi uerbo usum esse, de quo  
dam nimis delicato diuite, qui incorruptus  
tamen, & castus perinteger dicebatur. Nam cum no-  
cem eius in fractam, capillumq; arte compositum, &  
oculos ludibudos, atq; illecebræ, uoluptatisq; plenos  
uideret: nihil interest inquit, quibus membris canædi-  
sitis posterioribus, an prioribus.

A. G E L.

De ui atq; natura palmæ arboris, quod ligni  
ea ponderibus impositis renaturatur. Cap. vi

E r hercle rem mirandam Arist. in vii  
problematum, & plutar. in viii, si  
posicorum dicit. Si supra palmæ in-  
arboris lignum magna pondera imponas, ac tam  
uiter urgeas, oneresq; ut magnitudo oneris suffici-  
non queat: non deorsum palma cedit, nec intra-  
elitur: sed aduersus pondus resurgit, & sursum re-  
tur, recurvaturq; . Propterea inquit Plutarchus in  
taminibus palmā si gnum esse placuit uictoriae: quia  
niam ingenium eiusmodi ligni est, ut urgentibus  
primentibusq; non cedat.

H istoria ex annalibus sumpta de Q. Ceditio tri-  
militum. uerbaq; ex originibus M. Catonis apposita  
quibus Ceditij uirtutem cū spartano Leonida eq-  
parat. Cap. vii

V lchrum, dij boni, facinus, græciorum  
facundiarum magniloquentia condigna  
M. Cato libris originum de Q. Ceditio  
trib. militum scriptum reliqt. Id profecto est ad ho-  
ferme sententiam. Imperator pœnus in terra Sicali  
bello Carthaginensi primo, obuiam romano exer-  
tui pro greditur: colles, locosq; idoneos prior occupat.  
Milites Romani, uti res narrata est, in locum insim-  
ant fraudi, & præciei obnoxium. Tribunus ad eos  
uenit. Ostendit exitium de loci importunitate, q;



statum circumstantia. Maturum censeo inqt, si rem ser-  
uare uis, faciundū, ut CCCC. aliquos milites ad ue-  
rucam illā (sic enim M. Cato locum editum, asperūq;  
appellat) ire iubeas. Eamq; uti occupent, imperes,  
horterisq;. hostes profecto ubi id uiderint: fortissimus  
quisq; & promptissimus, ad occursum, pugnan-  
dumq; in eos peruertentur: unoq; illo negotio sese alli-  
gabunt: atq; illi omnes CCCC. proculdubio obtrun-  
cabuntur. Tu interea occupatis in ea cæde hostibus,  
tempus exercitus ex hoc loco educendi habebis. Alia,  
nisi hæc salutis uia nulla est. COS. tribuno respondit,  
consilium quidem fidum, atq; prouidēs sibi uiderier.  
Sed istos inquit milites CCCC. ad eum locum in hosti-  
um cuneos quisnam erit, qui ducat? si alium inquit  
tribunus, nemine reperis, me licet ad hoc periculum  
utare. Ego hanc tibi, et reip. animam do. COS. tribus  
no gratias, laudesq; egit. Tribunus et CCCC. ad mo-  
riendum proficiuntur. Hostes eoru audacia deman-  
rantur. Quorsumire pugnat in expectando sunt. sed  
ubi apparuit, ad eandem verrucam occupandā iter  
intendere: mittit aduersum illos imperator Carthag-  
iensis peditatum, equtatumq; illos, quos in exercitu ui-  
ros habuit strenuissimos. Romani milites circūueni-  
untur. circūuēti repugnant. Fit prælium diu anceps.  
tandē superat multitudo. Qua dringenti omnes tum  
una pfossi gladijs, aut missilibus operti cadunt. Con-  
sul interibi, dum ea pugna fit, se in locos tutos, atq; edi-  
tos subducit. sed qđ illi tribuō duci militū CCCC. de-  
uinitus in eo prælio usus uenit, nō iā nostris, sed ipsius

A. GEL.

» **C**atonis uerbis subiecimus. uerba Catonis. Di  
» mortales trib. militum fortunam ex uirtute eius  
» dere. Nam ita euenit, cum sauciis multifariam  
» etus esset: tum uulnus capiti nullum euenit. Eu  
» inter mortuos defatigatum uulneribus, atq; spira  
» tem, quod sanguen defluxerat, cognouere: eum si  
» lere. Is'q; conualuit. Sæpeq; post illam operam ri  
» forte, atq; strenuam perhibuit. Illoq; facto quo  
» los nūlites subduxit: exercitum cæterum seruauit  
» Sed idem benefactum loco in quo ponas, nimium  
» terest. Leonidas lacedæmonius laudatur: qui similes  
» pud Thermopylas fecit. propter eius uirtutes omni  
» græcia gloriam, atq; gratiam præcipuam claritudi  
» nis inclytissimæ decorauere monumentis, signis, fu  
» tuis, elogijs, historijs. Alijs'q; rebus gratissimum id em  
» factum habuere. At tri. militum parua laus pro  
» etis relicta, qui idem fecerat, atq; remp. seruauerat.

Hanc Q. Cedicij uirtutem M. Ca. tali siue  
monio decorauit. Claudio autem Q. quadrig. annals  
III. non Cedicio nomen fuisse refert, sed Laberio

Literæ eximiæ consulum C. Fabritij, & Am  
lij ad regem Pyrrhum a' Q. Claudio scriptore hi  
storiarum in memoriam datæ. Caput VIII.

Vm Pyrrhus rex in terra Italia esset: &  
c unam, atq; alteram pugnam prospere pu  
gnasset: satisq; angerentur Romani, & ple  
raq; Italia ad regem desciuisset: tum Ambraciensis  
quispiam Timochares Regis Pyrrhi amicus ad C.



Fabritium consulem furtim uenit: ac præmium pe-  
tuit, & si de premio conueniret: promisit Regem ue-  
nenis necare. Idq; facile esse factu dixit: quoniam fi-  
lij sui pocula in conviuio regi ministrarent. eā rem  
Fabritius ad senatum scripsit. Senatus legatos ad re-  
gem misit: mandauitq; ut de Timochare nihil prode-  
rent: sed monerent, uti rex circumspectius ageret: atq;  
a proximorum insidijs salutem tutaretur. hoc ita uti  
diximus, in Valerij Antiatis historia scriptum est.  
Quadrigarius autem in lib. III. non Timocharem,  
sed Niam adisse ad consulem scripsit. Neq; legatus  
a senatu missos, sed a COSS. Regem & pop. Ro. lau-  
des, atq; gratias scripsisse, captiuosq; omnes, quos tū  
habuerit, restituisse, & reddidisse. COSS. tum fue-  
runt C. Fabritius, atq; Aemilius. Literas, quas ad re-  
gem Pyrrhum super ea causa miserunt: Clau. Qua-  
drigarius scripsit fuisse hoc exemplo. COSS. Roma-  
ni salutem dicunt Pyrrho regi. Nos pro tuis iniurijs  
continuo animo strenui commoti inimiciter tecum bel-  
lare studemus. Sed communis exempli, & fidei. ergo  
uisum est, uti te saluum uelimus: ut esset, quem ar-  
mis uincere possimus. Ad nos uenit Nicias familia-  
ris tuus, qui sibi pretium a nobis peteret: si te clam  
interfecisset. Id nos negauimus uelle. Ne'ue ob eam  
rem quicquam commodi expectaret. & simul ui-  
sum est, ut te certiores faceremus, nequid eiusmodi  
si accidisset, nostro consilio ciuitates putarent factum:  
& quod nobis non placet, pretio, aut præmio, aut  
dolis pugnare, tu, nisi caueas, iacebis.

A·GEL.

Quis & cuiusmodi fuerit, qui in proverbio  
equus seianus, ex qualis color equorum sit, qui  
dices vocantur. dēq; istius vocabuli ratione.

Cap. IX.

Bassus in commentarijs suis. item Iulius  
C. destus in iij quæstionum confusarū histori  
de equo seiano tradunt dignā memoria  
admiratione. Cn. Seium quempiam scribunt fū  
Eumq; habuisse equum natum Argis in terra grec  
ia, de quo fama constans esset tanquam de gen  
equorum progenitus foret: qui Diomedis thracis fi  
serit: quos Hercules Diomede occiso ē Thracia  
gos perduxisset. Eum equum fuisse dicunt magis  
dine inusitata, cœruice ardua, colore phœnicæ,  
& comanti iuba. Omnibusq; alijs equorum la  
bus quoq; longe præstissime. Sed eundem equum  
fuisse fato, siue fortuna ferunt: ut quisquis habe  
eum, possideretq;: ut is cum omni domo, familia  
tunisq; omnibus suis ad internicionē deperiret.  
primum illum Cn. Seium dominū eius à M. A.  
qui postea III vir Reip. constituendæ fuit: ad  
damnatum miserando supplicio affectum esse. Et  
tempore Cor. Dolabellā COS. in Syria profic  
tem fama istius equi adductum Argos diuertisse:  
pidineq; habendi eius exarsisse. Emisseq; eum h  
centum millibus. Sed ipsum quoq; Dolabellam  
Syria bello ciuili obsessum, atq; interfictum esse.  
eundem equum, qui Dolabellæ fuerat. C. Ca  
rum, qui Dolabellam obsederat: abduxisse. Quic  
siū postea satis notum est, vicitis Parthis, fusōq;



itu suo, miseram mortem oppetuisse. Deinde Antonium post interitum Cassij parta uictoria, equum illum nobilem Cassij requisisse: et cum eo potitus esset, ipsum quoque postea uictum, atque desertum, detestabili exitio interisse. Hinc prouerbium de hominibus calamitosis ortum, dicique solitum. Ille homo habet equum seianum. Eadē sententia est illius quoque ueteris prouerbij, quod ita dictum accepimus. Avernumtolosanum. Nam cum oppidum Tolosanum in terra Gallia Q. Cepio COS. diripiisset: multumque aurum in eius oppidi templis fuerit: quisquis ex ea direptione aurum attigit: misero, cruciabilique exitu periret. Hunc equum C. Bassus uidisse Argis refert, haud credibili pulchritudine, uigoreque, et colore exuberantissimo. Quem colorem nos (sicuti dixi) puniceum, græce partim φοίνικα alij πεπάνια apellant, quoniam palmae termes ex arbore cum fructu annulso spadix dicuntur.

Quod est quedam septenarij numeri uis et facultas, in multis naturæ rebus animaduersa, de qua M. Varro in hebdomadibus disserit copiose.

Cap. X.

M. Varro in primo lib. qui inscribuntur hebdomades, uel de imaginibus septenarij numeri, quem græci εβδομάδα appellant, uirtutes, potestatesque multas, uarietasque dicat. Item numerus inquit, septentriones maiores, minoresque facit in cœlo. Item uergilias, quas πλειάδας vocant. Facit etiam stellas, quas alij erraticas,

P. Nigidius errores appellat. Circulos quoque  
cælo, circum longitudinem axis septem esse, et quae  
duos minimos, qui axem extimum tangent, in  
appellari dicit. Sed eos in sphæra, quæ nupin  
uocatur propter breuitatem non inesse. At neq;  
Zodiacus septenario numero caret. Nam in VII  
gno fit solstitium à bruma. In septimo bruma  
statio. In. VII. æquinoctium ab æquinoctio. Di-  
inde illos, quibus halcyones hyeme anni in aqua  
dulantur: eos quoque septem esse dicit. Præterea scri-  
lunæ curriculum confici integris quater septen-  
bus. Nam duodetricesimo luna inquit, ex quo nigo  
profecta est, eodem reddit. Authoremq; opinio  
huius Aristidem esse Samium, in qua re non id  
animaduerti debere dicit, quod quater septen-  
bus et uiginti diebus conficeret iter luna suum.  
quod is numerus septenarius, si ab uno profectus  
ad semetipsum progreditur: omnes, per quos pr  
gressus est, numeros comprehendat: ipsumq; se-  
dat, facit numerum octo &c. XX. quot dies sunt  
riculi lunaris. Ad homines quoque nascendos uim  
meri istius porrigi, pertinereq; ait. Nam cum in  
rum inquit, mulieris genitale semen datum est:  
nis septem diebus conglobatur, coagulaturq; et  
ad capiendam figuram idoneum. Post deinde qua  
ta hebdomade, quod eius virile foetus futurum  
put, & spinā, quæ est in dorso, informatur. Septem  
autem fere' hebdomade, idest nono, &c. XL. die  
inquit, homo in utero absoluitur. Illā quoque uim  
meri huius obseruatam refert, quod ante manu-

VII. neq; masculus, neq; foemina salubriter, ac secū  
dum naturam nasci potest, quod ij, qui iustissime in  
utero sunt, post. CCLXXIII. dies, postquā sunt con-  
cepti, quadragesima deniq; hebdomada ita nascun-  
tur. Pericula quoq; uitæ, fortunaruñq; hominū, quæ  
climacteras Chaldæi appellant: grauissimos quosq;  
fieri affirmat se ptenarijs. Præter hæc modum esse dī-  
cit summum adolescendi humani corporis se ptem pe-  
des, quod esse magis uerum arbitramur, quam quod  
Herodotus homo fabulator in primo historiarum in-  
uentum esse sub terra scripsit Oresti corpus cubitæ  
longitudinis habens se ptem, quæ faciunt pedes. XII.  
et quadrantem. Nisi si (ut Homerus opinatus est)  
uastiora, prolixiora q; fuerint corpora hominum an-  
tiquorum, et nunc quasi am mundo senescente, re-  
rum, atq; hominum decrementa sunt. Dentes quoq;  
et in se ptem primis mensibus, et se ptenos ex utraq;  
parte gigni ait, et cadere annis se ptimis, et genui-  
nos annasci annis fere bis se ptenis. Venas etiam in  
hominibus, uel potius arterias, medicos musicos dice-  
re ait, numero moueri se ptenario, quod ipsi appellat  
τὸν διὰ τετράποδον μέτρον, quæ fit in collatione  
Quaternarij numeri. Discrimina etiam periculorū  
in morbis maiore ui fieri putant in diebus, qui con-  
sciuntur ex numero se ptenarij. Eosq; dies omnium  
maxime ita ut medici appellat uerius ἡμέρα μετρία,  
cuiquam uideri primam hebdomadam, et secundā,  
et tertiam. Necnon id etiam est ad uim, facultatesq;  
eius numeri augendas, quod quibus inedia mori con-  
siliū est: se pimo demū die mortem appetunt. Hæc

A · G E L ·

Varro de numero septenario scripsit admodum quisite. sed alia quoq; ibidem congerit frigidila, ueluti septem opera esse in orbe terrarum da, et sapientes item ueteres septem fuisse, et cula ludorum circensium solennia septem esse, et pugnandas Thebas duces septem delectos. tum ibit se quoq; iam duodecimam annorum hebdon dam ingressum esse, et ad eum diem septuag hebdomadas librorum conscripsisse. Ex quibus quandiu cum proscriptus esset, direptis biblioth suis non comparuisse.

Quibus, et quam friuolis argumentis Acis didascalicis utatur: quibus docere nititur Hesiodi esse, quam Homerum natu antiquiore. Cap. I

V per aetate Homeri, atq; Hesiodi nos sentitur. Alij Homerū, quam Hesiodin iorem natu fuisse scripserunt. in ques lochorus, et Xenophanes. Alij minore, in ques Acius poeta, et Ephorus historiae scriptor. Mal Varro in primo de imaginibus, uter natus pri parum constare dicit. sed non esse dubium, quin quo tempore eodem uixerint: idq; ex epigramm ostendit, quod in tripode scriptum est: qui in ma helicone ab Hesiodo positus traditur. Acius a tem in primo didascalio leuibus admodum argutis uititur: per quae ostendit Hesiodum natu prior. Quod Homerus inquit, cum in principio carni Achillem esse filium Pelei diceret: quis esset Pele



non addidit. Quā rem procul inquit, dubio dixisset, nisi ab Hesiodo iam dictum uidetur. De Cyclope itidem inquit, uel maxime quod unoculus fuit. rem tam insignem non præterisset: nisi æque prioris Hesiodi carminibus uulgatum esset. De patria quoq; Homeri multo maxime dissensum est. Alij colophonum, alij smyrnæum, sunt qui Athenensem, sunt qui ægyptium dicant fuisse. Aristoteles tradit ex insula Io natum. M. Varro in lib. de imaginibus primo Homeri imagini hoc epigrāma apposuit.

Capella Homeri candida hoc tumulum indicat:

Quod ariete mortuo faciunt sacra.

Ἐπὶ τόλεις διερίζοι περὶ ρίζαν ὁ μύρος,  
σμύρνα. ρόδος. πολοφών. σαλαμίν. ίος. ἄργος. ἀθηναία.

Largum, atq; audiūm bibendi a' P. Nigidio do-  
ctissimo uiro nouo, et propemodum absurdō voca-  
bulo bibosum dictum.

Cap. XII.

Ibendi audiūm P. Nigidius in commenta-  
rijs grāmaticis bibacēm, et bibosum dicit.  
Bibacēm ego, ut edacēm a' plerisq; alijs di-  
ctum lego. Bibosum dictum etiam nusquam reperi,  
nisi apud Laberiu. Neq; aliud est, quod simili incli-  
natu dicitur. Non enim simile est, ut uinosus, aut ui-  
tiosus, cetera'q; quæ hoc modo dicuntur: quoniam a'  
vocabulis, non a' uerbis inclinata sunt. Laberius  
in mimo libro primo, qui salinator inscriptus est: uer-  
bo hoc ita utitur.

Non mámosa, non annosa, non bibosa, non procta.

A. G E L.

Quod Demosthenes etiam tum adolescens chon  
tonis philosophi discipulus foret: auditio forte  
strato rhetore in concione populi, destituta Plat  
et sectatus est Callistratum. Caput XII

Ermippus hoc scriptū reliquit. Demo  
b nem admodum adolescentem uenitam  
academiam, Platonemq; audire solita  
Atq; is inquit, Demosthenes domo egressus, ut ei  
erat, cum ad Platonem pergeret, cum pluresq;  
los concurrentes uideret: percunctatur eius rei a  
sam. Cognoscitq; currere eos auditum Callistrato  
Is Callistratus Athenis orator in repu. fuit. illi  
μαρωνος appellant. usum est paulum diverten  
peririq; an ad digna auditu, tanto properatum  
dio foret. Venit inquit, atq; audit Callistratum,  
Iem illum τὸν τερπίδρόπτερον dicentem.  
ita motus, et demultus, et captus est, ut Callistrat  
iam inde sectari cōperit: academiam cum Plat  
reliquerit.

Dimidium librum legi, aut dimidiā fabula  
audiui, aliaq; huiuscemodi, qui dicat uitiosē dici  
Eiusq; uitij causas reddere M. Varro nec quo  
quam ueterum ijsce uerbis ita usum esse.

Caput XIV.

Imidium librum legi, aut dimidiā fabula  
d lam audiui, uel quid aliud huiusmodi  
male, ac uitiosē dici existimat Varro. Op  
tet enim inquit, dicere dimidiatum librum, non  
midium, et dimidiā tam fabulam, non dimidiā

Conti



Contra autem si e' sextario hemina fusa est: non dimidiatum sextarium fusum dicendum est. Et qui quoque ex mille nummum, quod ei debebatur, quingentos receperit: non dimidiatum recipisse dicemus, sed dimidiū. At si scyphus inquit, argenteus mihi cum alio communis in duas partes disiectus sit: dimidiatum cum dicere esse scyphum debo, non dimidium. Argentum autem, quod in eo scypho inest, dimidium meum esse non dimidiatum, differit, ac dividit subtilissime, quid dimidium dimidiato intersit, et quasi Ennum scienter hoc in annalibus dixisse ait.

Sicuti si quis ferat uas uini dimidiatum.

Sicuti pars, quae deest e' vase, non dimidiata dicenda est, sed dimidia. Omnis autem disputationis eius, quae subtiliter quidem sed subobscurè explicat. summa hæc est. Dimidiatum est quasi dismediatum, et in partibus duas pares diuisum. Dimidiatum ergo, nisi ipsum quod diuisum est, dici haud conuenit. Dimidium uero est non quod ipsum dimidiatum est, sed quae ex dimidiato pars altera est. cum igitur partem libri dimidiata legisse uolumus dicere, aut partem dimidiata fabulae audisse: si dimidiata fabulam, aut dimidium librum dicemus, peccabimus. Totum enim ipsum, quod est dimidiatum, atque diuisum est, dimidium dicis. Itaque Lus alius eadem fecutus.

Vno oculo inquit, pedibusque duobus

Dimidiatus ut porcus. Et alio loco

Quid ne et scruta quidem ut uendant, et scrutarius laudat.

Præfractam strigilem soleam improbus dimidiata.

A·GEL.

Iam in uigesimo manifestus dimidiā horam  
re studiose fugit. Sed pro dimidia dimidium  
in hisce ueribus.

- » Tempestate sua, atq; eodem uno tempore, & ho
- » Dimidio & tribus confectis duntaxat eandem
- » Et quartam. Nam cum obuium, proximi  
esset dicere, & hora dimidia tribus confectis,  
te, atq; attente uerbum non probum mutauit; pa  
satis apparet, ne horam quidem dimidiā recl  
ci, sed uel dimidiā horam, uel dimidiā  
tem horae. Propterea Plautus in bacchidibus dim  
auri dicit, non dimidiatum aurum. Item in audi  
ria, dimidium obsonij non dimidiatum obsonij  
in hoc uersu.
- » Ei adeo obsonij hinc iussit dimidium dari.  
In menechmis autem dimidiatum diem, non dim  
in hoc uersu.
- » Dies quidem ita ad umbilicum dimidiatus mon  
M. Cato in libro, quem de agricultura conscrips  
» Semen cypressi serito crebrum, ita uti linum  
» let, eo crebro terram insternito, dimidiatum dig  
» Iam id bene tabula, aut pedibus, aut manibus  
» planato. Dimidiatum inquit digitum, non di  
dium. Nam digitū quidem dimidium, digitū a  
ipsum dimidiatum dici oportet. Item M. Cato de  
» thagrinibus ita scripsit. Homines defod  
» in terram dimidiatos, ignemq; circum posuerunt  
» interfecerunt. Neq; quisquam omnium, qui  
locuti sunt, his uerbis secus quam dixi, usus est



Extare in literis perq; hominum memorias tradi-  
tum, quod repente multis mortem attulit gaudium  
ingens insperatum, interclusa anima, & uim magni,  
nouiq; motus non sustinente. Cap. XV.

Ognito repente insperato gaudio expiras  
se animam refert Aristoteles philosophus  
Polycritam nobilē fœnunam e' Naxo in  
sula. Philippides quoq; comœdiarum poeta haud  
ignobilis ætate iā edita, cum in certanune poetarum  
præter spem uiasset, & lœtissime gauderet: inter il-  
lud gaudium repente mortuus est. de rhodio etiam  
Diagora celebrata historia est. Is Diagoras tres fili-  
os adolescentes habuit. unum pugilem. alterum pan-  
cratiasten. tertium luctatorē. Eosq; omnes uidit uin-  
cere, coronariq; eodem olympiæ die. & cum ibi eum  
tres adolescentes amplexi, coronis suis in caput patris  
positis sauiarentur: cumq; populus gratulabundus  
flores undiq; in eum iaceret: ibi in stadio inspectan-  
te populo, in oculis, atq; in manibus filiorum ani-  
mam efflauit. Præterea in nostris annalibus scriptū  
legimus. qua tempestate apud Cannas exercitus popu-  
li Romani cæsus est: anum matrem nuntio de mor-  
te filij allato, luctu, atq; moerore affectam esse. Sed  
is nuntius non uerus fuit. Atq; is adolescens non diu  
post ex ea pugna in urbem rediit. Anus repente  
filio uiso, copia, atq; turba, & quasi ruina inciden-  
tis inopinata gaudiū oppressa, exanimataq; est.

Temporis uarietas in puerperijs mulierum quæ  
nam sit a' medicis & philosophis tradita. atq; inibi

A. GEL.

poetarum quoq; ueterum super eadem re opin  
nes. Multaq; alia auditu, atq; memoratu digna  
baq; ipsa Hippocratis medici ex libro illius sum  
qui inscriptus est περὶ τροφῆς. Id quoq; esse à p  
uissimis uiris memoriæ mandatum. Caput XI

T medici, & philosophi illustres, de  
re humani partus quæsiuerunt. zim  
tūs τῶν ἀνθρώπων νῦντες χρόνος. Et  
ta opinio est. Eaq; iam pro uero recepta. Postquam  
lieris uterus conceperit semen, gigni hominem se  
mo rarenter, nunquam octauo, sæpe nono, se  
mico decimo mense. Eūq; esse hominem gignendi  
num finem, decem menses non inceplos, sed exadi  
Idq; Plautum ueterem poetam dicere uidemus in  
mædia cistellaria his uerbis.

- Tumilla, quam compresserat
- Decimo mense exacto, hic peperit filiam.  
Hoc idem tradit etiam Menander poeta uetus  
humanarū opinionum uel peritissimus. Versus  
super ea re de fabula Plotio posui.  
zuvnū uq; denuo unvros. Sed noster Cæcilius,  
faceret eodem nomine, & eiusdem argumenti an  
diam, ac pleraq; a' Menandro sumeret, in mensu  
tamen genitalibus nominandis, non prætermis  
sum, quem præterierat Menander. Cæciliū uerbo  
sunt.
- In solet' ne mulier decimo mense parere?
- Pol nono etiam septimo atq; octauo.  
Eam rem Cæciliū non inconsyderate dixisse,



temere a' Menādro, atq; a' multorum opinionibus de  
scīisse. M. Varro uti credamus, facit. Nam mense nō  
nunquam octauo editum esse partum in lib. X I I I .  
rerum diuinarum scriptum reliquit. Quo in libro  
etiam. XI . mense aliquando nasci posse hominem di-  
cit. Eiusq; sententiæ, tā de. VIII . quām de. XI . mē-  
se Aristotelem laudat authorem. Sed huius de men-  
se. VIII . dissensionis causa cognosci potest in li. Hippo-  
pocratis, qui inscriptus est περὶ τροφῆς, ex quo  
libro uerba hæc sunt ἐστὶ δὲ καὶ θητῶν διάταπον  
γένος. Id tam obscure, atq; præcise, tamq; aduer-  
se dictum Sabinus medicus, qui Hippocratem com-  
modissime commentatus est, his uerbis enarravit.  
Ἐστι μὲν φαντόμενα ὡς ἔως μετὰ τὴν ἐκπροσίν, όπου ἐστὶ<sup>ee</sup>  
δὲ ὡς οὐρίσκονται μετὰ ταῦτα. καὶ ἐστὶν διὸ φαντασία  
μὲν ταπατικαὶ ὄντα. δυνάμει δὲ όπου ἐστι. Antiquos  
autem Romanos Varro dicit non recepisse huiuscemo-  
di quasi monstrosas raritates. Sed nono mense, aut de-  
cimo, neq; præter hos alios partitionem mulieris secun-  
dum naturam fieri existimasse. Ita Circoq; eos nomina  
parcis tribus fecisse a' pariendo, & a' nono, atq; de-  
cimo mense. Nam parca inquit, immutata litera una  
a' partu nominata. Item nona & decima a' partus  
tempestui tempore. Cesellius autem uindex in lectio-  
nibus suis antiquis tria inquit, nomina parcarum  
sunt. Nona. Decima. Morta. Et uersum hunc Liuij  
antiquissimi poetæ ponit ex ὀδησσεῖ. Quādo dies  
aduenet, quē profata morta est? Sed homo minime  
malus Cesellius mortam quasi nomen accepit, cū aci-  
pere quasi μοῖραν deberet. Præterea ego de partu hu-

A·G·E·L.

mano, præterquam quæ scripta in libris legi,  
quoq; uenisse usū Romæ comperi. Fœminā bonis  
honestis moribus, non ambigua pudicitia in XI.  
se post mariti mortem perpetuisse. Factumq; esse no-  
tium propter rationem temporis, quasi marito  
tuo, poste a concepisset. quoniam X uiri in decam-  
sibus gigni hominem, non in undecimo scripsisse.  
Sed diuum Hadrianum causa cognita, decreui  
XI. quoq; mēse partum edi posse. Idq; ipsum eni-  
decreatum nos legimus. In eo decreto Hadrianus  
statuere se dicit, requisitis ueterum philosophorum  
& medicorum sententiis. Hodie quoq; in satyra  
te. M. Varronis legimus, quæ inscribitur testamentu-  
uerba hæc. Siquis mihi filius, unus, plures  
decem mensibus gignuntur: Ii, si erunt ὄντες  
hæredes sunt. Quod si quis undecimo mense,  
ἀπιστέλη natus esto, Actio idem, quod Titio in  
apud me. Per hoc uetus prouerbium Varro signi-  
cat, sicuti uulgo dici solitum erat de rebus inter-  
hil distantibus, Idē Accij quod Titij, ita parco  
iure esse in X mensibus natos, et in XI. Quod si  
neq; ultra decimum mensem foetura mulierum p-  
li potest: queri oportet, cur Homerus scripsisse  
ptunum dixisse puellæ a' se recens compressæ.  
χαῖρε νῦν φιλότιττι, περιπλομένῳ δένιαντο  
τέξεις ἀγλαῖα τένυα, επεὶ ὅνι αποφάλιοι ἐνετο-  
ἀθανάτων.

Id cum ego ad cōplures grāmaticos attulisse:  
tim eorū disputabant, Homeri quoq; ætate, scilicet



muli, annum fuisse, non XII. mensum sed X. Alij conuenisse Neptuno, maiestatiq; eius dicebant: ut longiore tempore foetus ex eo grādesceret. Alij alia quædam nugalia. Sed Phauorinus mihi ait περιπλωμένη εἰναυτή, nō confecto esse anno, sed affecto. In qua re uerbo nō vulgariae significationis. Affecta enim, sicuti M. Cicero, et veterum elegantissimi locuti sunt: ea proprie dicebantur: quæ nō ad finē ipsum, sed proxime finem progressa, deductā ue crant. Hoc uerbum ad hanc sententiam in Ciceronis oratione fuit: quam dixit de prouincijs consularibus. Hippocrates autem in eo libro, de quo supra scripsi: cum et numerum dierum, quibus conceptum in utero coagulum conformatur: et tempus ipsius partitionis nono aut decimo mense definisset: neq; id tamen semper eadem esse fini dixisset: sed aliás oxyus fieri, aliás serius, hisce ad postremum uerbis usus est. Σίνεται δέ εν τούτοις ναὶ πλείω. ναὶ ἐλάσσω ναὶ ὅλου ματὸν μέρος. ναὶ εἴπομεν δέ ναὶ πλείω πλειόνων. ναὶ ἐλάσσων ελασσόνων. quibus uerbis significat quod aliquando oxyus fieret: non multo tamen fieri oxyus. Neq; quod serius: multo serius. Memini ego Romæ accurate hoc, atque solicite quæsitum, negotio non rei tunc paruæ postulante, an VIII. mense infans ex utero uiuus editus, et statim mortuus ius trium liberorum suppleuisset, cum abortio quibusdam, non partus uideretur mensis octaua intempestivitas. Sed quoniam de Homericō annuo partu, ac de. xi. mense diximus quæ cognoueramus: uisum est non prætereundum, qđ in Plinij secundi lib.

h. q.

A. GEL.

bro. VII. naturalis historiæ legimus. Id autem  
extra fidem esse uideri potest, uerba ipsius Plini  
suimus. Massurius author est L. Papyrium  
rem secundo hærede lege agente, bonorum po-  
nem contra eū dedisse: cum mater partum, se x.  
mensibus tulisse diceret; quoniam nullum certum  
pus pariendi statum ei uideretur. In eodem  
nig secundi uerba hæc scripta sunt. Oscitation  
xu latalis est, sicut sternuisse à coitu, abortuum.

Quod tres libros Plato Philolai Pythagoria,  
Aristoteles pauculos Speusippi philosophi me-  
sunt pretijs fidem non capientibus. Cap. XVI.

Emoriæ mandatum est Platonem phi-  
lum tenui admodum pecunia famili-  
fuisse. Atq; eū tamen tres Philolai Py-  
thagorici libros decem millibus denariū mercatiū  
ei pretium donasse quidam scripserunt amicū  
Dionem Syracusanum. Aristotelem quoq; traditū  
libros pauculos Speusippi philosophi post mortem  
emisse talentis atticas tribus. ea summa fit numen-  
stri HS duo CT. LXX. millia. n̄ μων amarulent  
librum maledicentissimum conscripsit, qui oī ann  
inscribitur. in eo libro Platonem philosophum ter-  
admodum pecunia familiari fuisse contumeliose  
pellat: quod in penso pretio librum pythagoricae  
sciplinæ emisset. Ex q; eo Timæū nobilem illum  
logū continuasset. Versus su p e a r e ri μων hi su  
nāi oī τλάτων και ταρ σε μαθητὴν ὁ πόθος iχε.



τολῶν δραματίων ολίγην ἔλλαξες βιβλον  
ὕστερον παρχόμενος γράφειν εἰδιδέχθης-

Quid sint pedarii senatores, & quam ob causam  
ita appellati. Quiaq; habeant originem uerba hæc.  
ex edicto tralatio consulum. senatores, quibusq; in  
senatu sententiam dicere licet. Caput XVIII.

On pauci sunt, qui opinantur pedarios se-  
natores appellatos, qui sententiam in sena-  
tu non uerbis dicere, sed in alienam sen-  
tentia pedibus irent. Quid igitur cum SENAT. Cō-  
sult. per discessionem fiebat, non ne uniuersi senato-  
res sententiam pedibus ferebant? Atq; hæc etiā uo-  
tabuli istius ratio dicitur, quam C. Bassus in commē-  
tarüs suis scriptam reliquit. Senatores enim dicit in  
ueterum ætate, qui curulem magistratum gessissent:  
curru solitos honoris gratia in curiam uehi: in quo  
curru sella esset: supra quam considerent: quæ ob  
eam causam curulis appellaretur. Sed eos Senato-  
res, qui magistratum curulem non dum ceperant:  
pedibus itauisse in curiam. Propterea senatores non  
dum maioribus honoribus functos pedarios nomina-  
tos. M. autem Varro in satyra Menippea, quæ  
in τηνούων. inscripta est, equites quosdam dicit peda-  
rios appellatos. Videturq; eos significare, qui non dū  
a CENS. in senatum lecti erant: senatores non erat.  
Sed qui honoribus populi usi quidem erant: in sena-  
tum ueniebant, & sententiae ius habebant. Nam &  
curulibus magistratibus functi, qui non dum a

A. GEL.

CENS. in senatum lecti erant senatores non*et*  
Et quia in postremis scripti erant: non rogab*er*  
sententias, sed quas principes dixerant, in eas  
debant. Hoc significabat edictum, quo nunc q*ui*  
COSS. cum senatores in curiam uocant: serm*on*  
dæ consuetudinis causa translatio utuntur. Vo*l*  
edicti hæc sunt. senatores, quibusq*ue* in senatu*re*  
tiam dicere licet. Versum quoq*ue*: Laberū, in qu*o*  
vocabulum positum est: notari iussimus: quem lu*m*  
mus in mimo, qui scripture inscriptus est.

” Caput sine lingua, pedaria sententia est.  
Hoc vocabulum a' plerisq*ue* barbare dici animad*u*  
timus, nam pro pedarijs pedaneos appellant.

Qua ratione C. Bassus scripsit, parvum  
nem appallatum, et quam eius vocabuli caus*er*  
tarit: et contra quem in modum, quibusq*ue* no*te*  
Phauorinus hanc traditionem eius elu*er*it.

Caput. XIX.

Pud cœnam phauorini philosophi*n*  
discubitum fuerat: cœptusq*ue* erat app*ar*  
cibus: seruus assistens mensæ eius i*mp*  
inceptabat, aut græcarum quid literarum, aut*er*  
stratum, uelut eo die, quo affui ego, legebat*er*  
Bassi erudit*er* uiri liber de origine uerborum*er*  
cabulorum in quo ita scriptum fuit. Pa*ro*  
” composito vocabulo est, quasi par arcæ. quando*er*  
” in arca omnia reconduntur: eiusq*ue* custodia ser*u*  
tur, et continentur: ita homo tenax, paruoq*ue* con*ser*  
tus omnia custodit, et recondita habet signa*er*



quam ob causam parcus, quasi par arce nominatus est. Tum Phauorinus, ubi haec audiuit, superstitiose inquit, et nimis moleste, atq; odiose confabri-  
catus, commolitusq; magis est originem uocabuli C-  
iste Bassus, quam enarravit. Nam si licet res dicere  
commenticias: cur non probabilius uideatur, ut ac-  
cipiamus parcum ob eam causam dictum, quod pe-  
cuniam consumi, atq; impendi arceat, et prohibeat  
quasi pecuniarius. Quin potius, quod simplicius in-  
quit, ueriusq; est, id dicimus? Parcus enim neq; ab ar-  
ci, neq; ab arcendo, sed ab eo, quod est parum et par-  
uum denominatus est.

A V L I G E L L I I N O C T I V M A T T I C A  
R V M C O M M E N T A R I I .  
L I B E R Q V A R T V S .

Sermo quidam Phauorini philosophi cum gram-  
matico iactantiore factus in socratum modum, atq;  
ibi in sermone dictum, quibus uerbis penus a' Q.  
scenula definita sit. Caput Primum.

N uestibulo ædium palatinarum  
omnis fere ordinum multitudo op-  
perientes salutationem Cæsaris con-  
sisterant. Atq; ibi in circulo do-  
ctorum hominum Phauorino phi-  
sopho præsente ostentabat quispi-  
am grammaticæ rei doctior, scholica quædam  
nugalia, de generibus et casibus uocabulorum